

_Lettera_N_1463

Al papa Pio IX

*Datum Taurini, die 12 septembris 1870

Beatissime Pater,

Jam annus cum dimidio elapsus est, ex quo, Beatissime Pater, magnum bonitatis tuae testimonium in Salesianam Societatem praebere desiderans, eandem Societatem, tanquam Congregationem votorum simplicium, approbare dignatus es die 1 martii 1868.

Quod autem ad dimissoriales litteras relaxandas pertinet ea restrictione res composita fuit, ut Superior Generalis illas tantum concedere posset iis, qui nostris collegiis vel convictibus recepti fuissent ante annum aetatis suae decimum quartum expletum; quum vero non raro contingat ut adolescentes Salesianam Societatem post hujusmodi aetatem ingredi exoptent, saepius ad proprios uniuscuiusque Ordinarios vel ad Sanctam Sedem est recurrendum. In primo casu difficillime saepe hoc fieri potest, praesertim si agatur de sodalibus qui de oris Africanis

vel Americanis ad nos provenerint. Frequens vero ad Sanctam Sedem recursus, hisce potissimum temporibus, non levibus item difficultatibus praepeditur. Quae igitur quum ita sint, humillime a Beatitudine Tua expostulo, ut facultas litteras dimissoriales relaxandi extendatur etiam ad eos qui nostram hanc Congregationem amplexi fuerint post aetatem quatuordecim annorum expletam. Haec autem ad nostrae Piae Societatis bonum, ad lucrum animarum, adque ad majorem dei gloriam summopere conferre censentur. Omnia tamen Sanctitatis Tuae pedibus provolutus, iudicio bonitatis, charitatis et sapientiae Tuae humillime subiicio.

Sac. Bosco Joannes